



**De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ  
Antiqvitate**

**Hugo, Hermann**

**Antverpiæ, 1617**

Cap. XXXV. De ornatu librorum. Quid volumen, & vnde dictum? Quid  
cylindri? Vnde pagina? Libri omnes olim volumina. Quid cornua in  
volumine? Quid vmbilici? A quo primùm malleata charta? Libri vbi ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71265)

## CAPVT XXXV.

*De ornatu librorum.*

**L**ITERARVM typorumque nitor fecit libros  
maiori esse in pretio; paulatimque varius iis  
cultus adhibitus est.

Primum libri omnes compingebantur in volu-  
men; hoc est, folia omnia vno ex latere intra ba-  
cillos duos complanatos consuebantur traiecto  
filo, ac tum circum bacillos voluebantur instar  
fasciarum. Volumen enim à voluendo dictum,  
scribit Isidorus lib. vi. cap. xiiii. sicut pagina à  
literis quæ in chartâ panguntur aut cerâ. id quod  
etiam Horatius insinuat epist. xx. lib. i.

— & scis

*In breue te cogi.* —

& Martialis lib. xi.

*Vadas, sed redeas ineuolutus.*

Imò volumina Græci cylindros eâ re vocarunt,  
vt patet in Epicuro Laërtij.

Mox bacilli illi non è ligno, sed è cornu po-  
lito fieri cœpti, vnde cornua vocati à Martiali li-  
bro xi. Epigr. cviii.

*Explicitum nobis vsque ad sua cornua librum.*

De iisdem lib. v. Epigram. vi.

*Nigris pagina creuit umbilicis.*

Communiter enim dicti umbilici, quòd in me-  
dio essent ipsius voluminis circumuoluti, instar  
umbilici, qui medius est in corporibus; cuius  
etiam formam referebant, præcipuè quando ad  
ornatum iis vtrimque affigebantur bullæ quæ-  
dam, seu poma cornea aut eburnea foris extra  
volu-

voluminis oras prominentia; vt Pierius obserua-  
uit libro xxxiv. & Porphyrio in Notis Horatij.  
Hinc Martialis lib. i. Epigr. lxxvii.

*Nec vmbilicis cultus, &c.*

Lib. i i i. Epigram. ii.

*Pictis luxurietis vmbilicis.*

Lib. v i i i. Epigram. lxi.

*Nec vmbilicis quòd decorus & cedro.*

quamquam vmbilicus subinde pro libri fine ac-  
ceptus est Martiali & Horatio, vt Raderus notat.

Tum chartæ ad libros faciendos cœperunt ma-  
gis quoque expoliri. A Fannio Romæ primùm  
malleari charta cœpit, vt Plinius scribit lib. xiii.  
capite xi.

Deinde etiam pumicibus læuigari, ne scabri-  
ties manum scribentis aut legentis oculum of-  
fenderet: vnde Martialis libro viii. Epigram-  
mat. lxxvii. ad librum suum:

— asperoq̃

*Morsu pumicis aridi politus.*

quod ferè è Catullo descripsit lib. i. carm. i.

*Arido modò pumice expolitum.*

item Horatius:

*Scilicet vt prostes Sosiorum pumice mundus.*

& lib. i. Epigr. lxxvii. Martialis.

*Sed pumicat à fronte si nondum est quisquam,*

*Nec vmbilicis cultus atque membranâ.*

vbi indicat non solùm chartam, sed & librorum  
inuolucra membranacea, quæ frontes sunt, pumi-  
cibus fuisse læuigata. quod & Ouidius innuit:

*Nec fragili gemina pollantur pumice frontes,*

*Hirsutus sparsis vt videare comis.*

O 3

Nec

*Nec titulus, minio nec cedro charta notetur,  
Candida nec nigrâ cornua fronte gerat.*

Et Catullus lib. i. ad Varum:

*Noui umbilici, lora rubra, membrana  
Directa plumbo, & pumice omnia equata.*

Ergo membranæ fuere voluminum tectoria, & quidem diuersicolores: rubra, ut iam ex Catullo; nigra, ut ex Ouidio; lutea, ut Tibullus:

*Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum,*

Purpurea, ut Statius lib. iv. Siluar.

*Noster purpureus nouusq; chartâ  
Et binis decoratus umbilicis  
Liber, &c.*

Ouidius lib. i. Trist. Eleg. i.

*Nec te purpureo velent vaccini i succo.*

D. Hieronymus in Prologo Iob: Habeant qui volunt veteres libros membranis purpureis, auro argentoque descriptos, vel vncialibus, ut aiunt, literis onera magis exarata quam codices.

Postquam verò libri desinere esse volumina, cœperunt frontes è tabellis, purpurâ, auro argentoque tectis, ac solidis componi. Causam dat

Martialis lib. xiv. Epigr. lxxxiv.

*Ne toga barbatus faciat vel penula libros,  
Hac abies chartis tempora longa dabit.*

De colore verò lib. iiii. Epigr. ii.

*Et te purpura delicata velet.*

Lib. viii. Epigr. lxxii.

*Nondum murice cultus. ———*

Lib. v. Epigr. vi.

*Qua cedro decorata purpuraq;  
Nigris pagina creuit umbilicis, &c.*

Vltra

*Vtrò purpureum petet libellum.*

Tum folia etiam accisa, vt æquales essent chartarum oræ. quod primùm in Sicilia factum Isidorus scribit libro vi. Etymolog.

Porrò quod de cedro ab Ouidio dicitur, ita se habet. Cedria, seu oleum è cedro arbore expressum, vt Cassius Hemina docet apud Plinium libro xiii. cap. xiii. chartis illitum, tineas ab iis arcet. vnde apud Horatium :

———— *Speramus carmina fingi*

*Posse linenda cedro.*

Martialis lib. iii. Epigram. ii.

*Cedro nunc licet ambules perunctus.*

Ausonius ad libellum suum :

*Huius in arbitrio est seu te iuuenescere cedro,  
Seu iubeat duris vermibus esse cibum.*

De literis autem aureis, argenteis, muriceis iam sæpiùs dictum est, quibus libri scribebantur. Illud pro clausulâ appono, quod libris extremis & summis appingi solitum scribit ex Ausonio Turnebus lib. xxi. cap. x. Veteres, inquit, vt in calce librorum coronidem appingebant ; ita, suspicor, in fronte lunulam ad ornatum designabant. Huius suspicionis nobis causam Ausonius præbet Epigr. xxvi. De Professor. Burdegalens.

*Quos legis à primâ deductos menide libri,  
Doctores patriæ scito fuisse meæ.*

Menis autem lunula est, quæ corniculata sit ; idcirco & cornua, ea ornamenta Latini vocauerunt. Hic libri mei erit coronis, ne quis mihi Callimachus dicat : *Magnum librum, magnum esse malum.*